

aut plane incertum est. Sed libros triginta vel, connumeratis libris ad edictum aedilium curulium, triginta duo ad edictum provinciale et ipsos post Institutiones compositos esse item satis tuto statuere licet; non tantum quia maiore iis componendis opus erat usu et experientia fori (ut non inepte iudicat Stieber ad Wenckii opusc. p. XXIX), sed etiam (quod me maxime movet) quia libro I L. 30 § 2 D. de pactis (2, 14) sententiam reicit, quam Inst. 3, 179 tentaverat, et libro VI. L. 3 D. de hered. pet. (5, 3) mentionem habet heredum ex senatusconsultis (Tertulliano et Orphitiano): nec facile Inst. 1, 188 simpliciter edicti interpretationem laudasset, si tum iam utrumque edictum interpretatus esset: quamobrem etiam L. 42 D. de don. int. vir. (24, 1) ex lib. XI commemoratus princeps Antoninus pro Marco habendus erit. Denique etiam rerum quotidianarum libri, si totam eorum rationem perpendaris, non possunt iudicari non post Institutiones compositi esse. Haec omnia vero faciunt, ut Mommseni sententiae (Jahrb. d. gem. deutschen R. III 1, p. 14 [= Jur. Schr. II 37]), pleraque Gaium Antonino Pio imperante (a. 138—161) scripsisse arbitrantis haud facile accedam, sed vegetam aetatem in D. Marci tempora eum transtulisse malim opinari. Quando vero obierit, nescimus. Tantum Commodi tempora (a. 176—192 [imperantis cum patre a. 176—180]) eum vidisse, ex eo, quod ad SC. Orphitianum scripsit, efficitur.

Idem Mommsenus l. c. Gaium 'ICTum provincialem' fuisse, qui in oriente, et ut probabiliter statuere liceat, Troade in Asia ius docuerit librosque suos ediderit, magno, ut solet, acumine adstruere conatus est: argumentis tamen, quod pace viri de his litteris meritissimi mihi que amici dixerim, admodum dubiis et magis speciosis quam veris. Primum enim, quod de solo praenomine ad appellandum eum Graeco more usurpato disputat, imperatorum maxime aevo eandem appellandi consuetudinem certis ex causis etiam Romae obtinuisse, ut iam supra obiter significavimus, multa exempla velut imperatorum Gai, Titi, Marci,